



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Speculum Approbandorum Bipartitum**

**Unczovsky, Marianus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1693**

Quæstio X. In qua continuatur eade[m] materia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37308**

fessariorum, excitantium Confessione paractâ Pœnitentes non exprimentes verbo aut signo dolorem de peccatis, ad eundem eliciendum.

QUÆSTIO X.

In qua continuatur eadem materia.

**Wicar.** Proferatur definitio contritionis perfectæ.

**Sac.** Contritio est detestatio & dolor de peccato commisso, prout est offensa DEI, siue propter DEUM summâ dilectione dignum: vel contritio (ut pars Sacramenti Pœnitentiæ) est dolor voluntariè assumptus, quo quis detestatur peccatum super omne detestabile, quatenus est offensa DEI cum proposito non peccandi de cetero, & Sacramentaliter confitendi, ac satisfaciendi datâ opportunitate. Ità Scor. in 4. D. 14. Q. 2. Art. 2. S. Bonavent. in 4. D. 16. Art. 1. Q. 1. Suar. Disp. 5, S. 1. de Pœnit.

U. Ergo in contritione includitur votum confessionis, seu Sacramenti?

S. Om-



S. Omnino: cum enim in lege  
 confessio sit necessaria Baptisatis  
 taliter peccantibus, votum confessio-  
 nis saltem implicitum debet neces-  
 sario contineri in contritione peccan-  
 tis baptisati alias contritio non iusti-  
 ficabit sine tali voto; praeterea con-  
 tritio perfecta saltem implicitè habet  
 annexum votum servandi omnia prae-  
 cepta Divina, ergo etiam praeceptum  
 confessionis datà opportunitate, & ha-  
 bità copiâ Confessoris.

U. Etiamnè hoc votum confessionis  
 includit contritio ex sua natura?

S. Nequaquam: contritio enim, quae  
 ex sua natura est dolor de peccatis, seu  
 detestatio ac odium peccati, sic conside-  
 rata includit solum essentialiter pro-  
 positum emendandi vitam, & cavendi  
 di peccata in futurum.

U. Quid autem est attritio?

S. Est quoque dolor & detestatio peccati pro-  
 pter aliquod aliud motivum bonum, &  
 honestum, à perfecta contritionis motivo  
 distinctum.

U. Cui



U. Cur innuis distinctionem motivo-  
rum?

S. Quia aduerto dolorem de peccatis  
ex vario & multiplici motivo concipi  
posse.

U. Expone hanc multipliciter?

S. Si quispiam doleret se v. g. in ebric-  
tatem lapsum esse, quia per illam im-  
peditus est, nè furtum committeret,  
doleret ex motivo *malo*: item si dole-  
ret de latrocinio propterea, quòd illi-  
us causâ sit apud homines infamatus,  
doleret ex *motivo humano*: item si do-  
leret de mendacio commisso, eò quòd  
rectæ rationi naturali adversetur, do-  
leret quidem ex *motivo honesto*, sed *na-  
turali*: deniq; si quispiam doleret ex  
impulso Spiritûs S. se peccatum ali-  
quod mortale commississe, illudq; de-  
testaretur, quia æternæ damnationis  
incurrendæ, aut cœlestis Beatitudinis  
amittendæ periculo illum exponit, do-  
leret ex *motivo bono supernaturali Di-  
vinae fidei innixo*.

U. Cui



V. Cui ex his motivis innititur attritio, tanquam dispositio ad Sacramentum Pœnitentiæ debitæ suscipiendæ.

S. Quarto.

V. Videtur mihi attritio ex metu gehennæ concepta esse vitiosa & malicia.

S. Scio quendam Hæreticorum attritionem ex metu gehennæ conceptam vocare Judæ pœnitentiã, at dicitur modo excludatur timor naturalis mundanus, deturq; locus timori filiali aut etiam servili, attritio hujusmodi terminum respiciens erit sufficiens dispositio ad Sacramentum Pœnitentiæ debitæ ac fructuosè suscipiendum.

V. Etiam ex timore servili orta?

S. Etiam: donum enim DEI hic timor est per Trid. & Spiritus S. impulsus, ad quem excitat ipse CHRISTUS Matth. 10. dicens: nolite timere eos qui occidunt corpus &c. sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam: eundem commendant SS. PP. Aug. in Psal. 127. Basil. in Psal. 33. com-

clu-  
more  
lescu  
licitos  
V. Ap  
folog  
stam,  
cùm f  
ità, u  
posita  
testat  
S. Fat  
ter ser  
moral  
ciens  
ter ser  
V. Qu  
S. Tim  
illum  
quã  
aut ab  
nm ip  
tum f  
quam



cludens in fine his verbis: *hunc esse timorem, quem Pater Cœlestis non quaesivit, sed filios de propria salute sollicitos, promisit se docendum.*

V. Apparet manifestè attritionem ex solo gehennæ metu ortam, nec honestam, nec bonam moraliter esse posse, cum sit odium non peccati, sed pœnæ, ità, ut si nulla esset pœna peccato imposita, nulla esset quoque peccati detestatio?

S. Fateor quòd elicita ex timore serviliter servili nec honesta, nec bona sit moraliter, vitiosa tamen, aut insufficienti non est elicita ex timore simpliciter servili.

V. Quales hi timores?

S. Timorem serviliter servilem intelligo illum, in quo tota ratio tam finalis, quam impulsiva dolendi de peccato, aut ab illo abstinendi est fuga & odium ipsius pœnæ, ità, ut quis peccatum fugiat solummodò ob pœnam, quam evitare cupit, finemq; suum qua-

F

li



si ultimum in illius pœnæ fuga con-  
 tuat; verbò: ità dispositus est, ut pe-  
 catum vitare nollet, nisi pœnas se-  
 gehennam timeret; *timorem* verò si-  
 pliciter *servilem* noto illum, in quo pe-  
 nœ odium ejusq; fuga homini à pecco-  
 to voluntatem suam avertendi non est  
 ultimus finis, sed tantùm proximus  
 videlicèt: quatenùs non fittit in sim-  
 plici fuga pœnarum æternarum, sed  
 hunc earum metum saltèm virtualitè  
 & interpretativè ad æternæ vitæ desi-  
 derium refert, eò quòd ex tali metu  
 moveatur ad dolendum de peccato, ut  
 ad benè operandum, tum nè pœnam  
 illam æternam patiat, tum etiam si  
 bono æterno privetur, DEUMq; sibi ir-  
 ratum habeat, in quo præsertim dif-  
 fert à *timore serviliter servili*, qui nihil  
 prorsùs de DEO, illiusq; fruitione cu-  
 rat. Quod si audire placet breviorè  
 inter utrumq; adductum timorem dif-  
 ferentiam, profero eam ex *Bellar. Lib. 2.  
 de Penit. c. 18.* nimirum: quòd *timor*  
 ser-



*serviliter servilis solummodo peccati executionem, seu actionem impediatur, timor vero simpliciter servilis non modò à peccato cohibeat, sed voluntatem ipsam immutet, & ad DEUM convertat.*

**U.** Hoc audito quæro: an ad Sacramentum Pœnitentiæ dignè & fructuosè recipiendum requiratur contritio saltèm existimata?

**S.** Non requiritur: par enim est ratio de adulto peccati mortalis conscio in ordine ad Pœnitentiã, quàm in ordine ad Baptismum, ad cuius valorem & fructum non exigitur contritio existimata, seu attritio putata contritio; præterquam quòd nemo teneatur suscipere Sacramentum cum majori dispositione, quàm re ipsa requiratur, sic autem est à parte rei non requiri ad valorem & fructum Sacramenti Pœnitentiæ majorem dispositionem, quàm attritionem quâ talem, igitur nequaquam exigitur, ut Pœnitens sibi priùs persuadeat se esse perfectè contritum.

F 2

U. Cur



*U.* Cur dixisti attritionem *quã talem*?

*S.* Ut appareret me loqui de attritione quã in re est talis, nam talem petit Sacramentum Pœnitentiã, & *Concil.* inculcat, dum excluso dolore putato adsignat dolorem verum & realem.

*U.* Unde autem colligis attritionem simpliciter sufficere ad dignè & fructuose recipiendum Sacramentum Pœnitentiã?

*S.* Ex multis: inter alia etiam ex hoc, quia attritio cum Baptismo sufficit ad remissionem peccati mortalis ante Baptismum commissi, igitur etiam sufficit cum Sacramento Pœnitentiã ad remissionem peccati post Baptismum commissi: nam *Trid.* hæc duo Sacramenta æquiparat quoad vim remissionis culpæ, & pœnæ æternæ; & si attritio non sufficeret, sed necessaria esset contritio, Sacramentum Pœnitentiã non esset Sacramentum mortuorum, sed vivorum, non enim justificaret hominem, sed jam justificatum in-



veniret per contritionem perfectam.  
U. Quæro: an contritio aliquando sit  
in præcepto?

S. Certum est in aliquibus casibus te-  
neri hominem de præcepto converti  
ad Deum, & peccatum detestari extra  
Sacramentum Pœnitentiæ, conformi-  
ter ad illud *Luc. 13. si pœnitentiam non  
habueritis, simul omnes peribitis*: præ-  
tereà homo tenetur de præcepto fu-  
mere medium necessariũ ad salutem,  
quando non adest copia Sacramenti  
Pœnit: atqui medium necessarium ad  
salutem extra Sacrament: Pœnit: est  
contritio, ergo contritio est in præcep-  
to aliquando.

U. Sed quando?

S. Obligat hominem contritionis præ-  
ceptum quandocunq; tenetur esse in  
gratia: obligatur itaq; constitutus in  
articulo, aut periculo mortis: item  
Minister Sacramentorum aliquod Sa-  
cramentum administraturus, & pec-  
cati mortalis conscius. tenetur vel con-



fiteri, vel conteri: item Sacerdos peccato mortali gravatus, & urgente aliquâ necessitate celebraturus, si copiam Confessoris non habeat, contritionem habere obligatur: item receptorus aliquod Sacramentum vivorum (*specialiter Eucharistiam*) si in statum malo sit, & Ministrum Sacramenti Peccati: habere nequeat, contritionem præmittere debet.

U. Demus casum, quòd Sacerdos curam animarum habens citò vocetur ad moribundum in vicinia confiteri volentem, qui licet sibi conscius esset peccati mortalis, attamen ob brevitatem temporis, aliasq; circumstantias, judicando tam repente contritionem se elicere non posse, ægrum absq; contritione prævia absolveret, peccaretne tunc mortaliter?

S. Judico Sacerdotem illum in tam inexpectato casu ob angustias temporis, aliasq; circumstantias distractum non peccare mortaliter absolvendo

ægr.



ægrum contritione non præmissâ, vel aliud Sacramentum administrando: vid. *Card. de Lugo de Sacram. D. 8. S. 9. n. 151.* videtur namq; necessitas proximi, in cuius subsidium Sacramenta sunt instituta, præponderare præcepto de ministrandis illis in gratia.

U. Hoc non fieret absq; gravi irreverentia?

S. Respicienda hîc necessitas, quæ facit, ut non fiat malè, nec irreverenter illud, quod alioquin extra necessitatem gravissimam contineret irreverentiam, ut consideranti facilè patebit; & quamvis dicatur ad contritionem quodlibet breve tempus sufficere, tunc nihilominùs distractio & sollicitudo circa ægrum, Sacerdotem impediunt, ut conteri nequeat, licèt peccati mortalis recordetur.

U. Quid si occurreret vehemens tentatio, & occasio peccandi?

S. Si quispiam in occasione vel periculo peccandi mortaliter cognosceret,

F 4

quòd



quod per actum contritionis probabiliter à tali, periculo liberaretur, peccato averteretur, judico quod non neatur illum actum elicere, siquidem unusquisq; ex charitate tenetur medium opportunum accipere, ad se defendendum immunem à peccato.

V. Putasne si huic obligationi non satisfaceret, peccaturum mortaliter?

S. Dico non esse monendum penitentem de tali obligatione sub peccato mortali, sic enim imponderetur onus nimis grave. *Lugo de Penit. Disp. 21. Sect. 4. n. 54.* Quare amplectendo etiam opinionem magis piam, & in practica tenendam, juxta quam, tempore quo facienda est publica oratio pro publica necessitate, tenetur quis per actum contritionis esse in gratia Dei (nisi mallet cum sola attritione Confessionis remedio uti) nihilominus non arguerem peccati mortalis illum, qui contritionem in tali occasione non eliceret: penitentibus enim in hujus-

mo.



modi obligationibus non sunt imponenda onera tam gravia.

U. Hoc præceptum contritionis aliquando eliciendæ estne etiam de *Jure naturali*?

S. Esse de *Jure Divino* certum est, cum DEUS extra Sacramentum Pœnitentiæ nolit remittere peccatum, nisi per contritionem & dolorem de offensa suâ Divinæ Majestatis, ut patet *Ezech. 18. agite pœnitentiam &c. & non erit vobis in ruinam iniquitas*, & alibi: quòd verò sit etiam de *Jure naturali*, ex hoc deduco, quia *Jus naturale* dicitur, ut à Creatore nostro tanquam summo bono pro sui offensa veniam petamus, atque aliquo modo satisfaciamus, quandoquidem *Jure natura* omni offensa satisfieri debeat, hoc autem fit per pœnitentiam seu contritionem, igitur contritio est etiam de *Jure naturali*.

U. Quæro: utrùm peccator statim post peccatum commissum teneatur contritionis actum elicere?

F 5

S. Sa-



S. Salutare ac optimum consilium est statim de peccato mortali contriteri dolere, juxta illud *Eecl. 5. non tate converti ad Dominum &c.* non tamen est præceptum ad eliciendum hunc dolorem post commissum peccatum statim & absq; dilatione.

U. Fortè præceptum non est pro illis qui laxæ sunt consciëntiæ, & apud quos non est in consideratione unum dicitur taxat peccatum mortale?

S. Etiam timorata consciëntiæ viri non solent statim de mortali delicto contriteri, neq; se accusant, quòd post commissum peccatum mox actum contritionis non elicuerint.

U. Numquid D. Seraph docet Religiosos statim post commissum peccatum mortale obligari ad confitendum Sacramento?

S. Pia hæc, ac utilis doctrina pro Religiosis, quorum intentio juxta obligationem semper dirigi debet ad acquirendam ampliorem perfectionem, aut



ast ego opinionibus onerosis & scrupulosis non subscribens dico, neque pro Religiosis hanc esse obligationem; sentio itaq; universaliter de *Jure Divino* solùm obligari fidelem adultum ad confitenda sua peccata mortalia in periculo & articulo mortis, vel quando verisimiliter credit ante articulum vel periculum mortis se non habiturum copiam Confessarij, vel quando confecturus, aut recepturus est Sacramenta: quoties autem teneatur ratione voti, quod emisit de confitendo sapius, vel ex præcepto sui Superioris, unusquisque suas DEO factas circa hoc promissiones, vel sui Superioris mandata, atque Ordinis constitutiones consulat.

U. Adverte! statim, ac quispiam cognoscit se per actionem suam injuriam & damnum illaturum proximo, tenetur ab illa actione recedere, ergo etiam statim, ac advertit se per actum

F 6

pec-



peccaminosum DEUM offendisse, tenetur de illo conteri & dolere?

S. Existimo quòd statim, ac quispiam advertit se operando peccaturum, Deumq; offensurum, teneatur non operari, aut si peccavit, mox, cum firmo proposito non delinquendi ultra, peccato recedere, non tamen statim pro peccato veniam petere & conteri, sed solùm datâ oportunitate, quemadmodum etiam non tenetur statim iniuriam & damnum proximo resarcire, sed datâ occasione.

V. Numquid statim pro fugando morbo corporali quæritur medicina corporalis? cur igitur pro ægritudine animæ non quæretur etiam statim medicina spiritualis per pœnitentiam seu contritionem?

S. Adverto aliter discurrendum esse de medicina corporali, & aliter de spirituali, posterior facit animam per peccatum mortuam reviviscere sapius, aliter proreacquirenda vita corporali semel amissa.



amissa non datur amplius medicina corporalis, unde ægritudini corporali occurrendum est per media convenientia statim, non sic infirmitati aut morti spirituali animæ.

U. Quasi verò peccatori non posset occurrere dubium, annon subito forte sit moriturus?

S. Fateor absolutè posse esse dubium, attamen spectatis circumstantijs bonæ valetudinis, non appareret, hîc & nunc morale periculum mortis, ac finalis impenitentia.

U. Dixeras suprâ constitutum in articulo mortis obligari ad actum contritionis, quæro: an sit obligatio ad hujusmodi actum etiam cum Sacramêto?

S. Nequaquam: in omni enim casu sufficit ad justificationem attritio intra Sacramentum.

U. Videtur quòd pœnitens teneatur contritionem perfectam elicere, ex præcepto charitatis erga se ipsum, quale obligat, ut in articulo mortis pro-

cu-



curet suam salutem per media certa  
indubitata?

S. Etiam attritio cum Sacramento est  
medium certum & indubitatum; imo  
certius est attritionem intrà Sacramen-  
tum sufficere ad justificationem, quam  
quòd actus contritionis, quem forte  
infirmus conatur elicere, sit reipsa ve-  
rus actus contritionis, igitur nemo ex  
charitate erga seipsum tenetur ad con-  
tritionem perfectam, sed eliciendo at-  
tritionem intrà Sacramentum satisfac-  
ceret huic obligationi.

V. Tenetur quilibet ex charitate erga  
seipsum adhibere media saluti secu-  
riora, sic autem est quòd securius sit  
conjugere contritionem Sacramen-  
to, ut si fortè ipsum Sacramentum ex  
aliquo defectu Ministri absolveris  
non esset validum, posset saltèm pœ-  
nitens justificari vi contritionis.

S. Sit medium securius contritio con-  
iuncta Sacramento, mihi tamen vide-  
tur unumquemq; adimplere præcep-  
tum



tum charitatis erga se ipsum, si adhibeat talia media, quæ sunt secura & simpliciter certa certitudine morali, excludente rationabile dubium de opposito.

U. Certum est, quòd contritio perfecta semper justificet, igitur hæc conjungenda Sacramento.

S. Certum etiam est, quòd Sacramentum Pœnit: justificet debitè collatum, debitè autem confertur pœnitenti accedenti cum attritione.

U. Sed certum non est seclusâ speciali revelatione Divinâ, quòd hoc in particulari Sacramentum sit debitè collatum pœnitenti attrito?

S. Neq; certum, quòd hæc in individuo contritio sit vera contritio, sufficit quærere & amplecti medium ad salutem moraliter certum & indubitatum, quale est Sacramentum cum attritione: hinc adverto *certitudinem facti*, respicientem media salutis in particulari, & prout in executione adhibi-



bita, non esse nisi moralem; neque  
 nora media certa *certitudine Juris* e  
 cenda esse illa, de quibus constat in  
 genere, quòd sint à Deo instituta, sit  
 illis annexa justificatio, & salus.

U. Affirmabis utiq; in articulo mortis  
 consulendum esse homini, ut amplec-  
 tatur media salutis non tantum secu-  
 riora, verum etiam securissima?

S. Omnino, nulla enim satis magna se-  
 curitas, ubi periclitatur æternitas.

### QUÆSTIO XI.

*Continuatur eadem materia.*

*Vicar.* Audire desidero, an contri-  
 tio in aliquo sensu dici  
 queat necessaria ad salutem necessita-  
 te medij?

*Sac.* Sic necessaria potest dici in hoc  
 sensu, quatenus non habendo copiam  
 Sacramenti Poenit: si peccator salvari  
 velit, necesse est, ut contritionem ac-  
 tualem suorum peccatorum habeat.

U. Num.